

Franckesche Stiftungen zu Halle

Exercitatio Programmatica XVI. In Diem Onomasticum Serenissimi, Potentissimique Principis, Ac Domini, Domini Georgii Secundi, Magnæ Britanniaë, ...

Polemann, Erdwin Hermann

Stadaë, [1729?]

VD18 1348558X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-202825

I. N. D.

EXERCITATIO PROGRAMMATICA XVI.
SCRIPTURÆ S. MAJESTATEM, AB INEPTIS VERBO-
RUM REPETITIONIBUS, S. PLEONASMIS,
IN DICTIS QUIBUSDAM,
VINDICANS.

§ I.

INde ab eo tempore, a quo per
adorandam divinæ providentiæ œconomiam, post b. re-
formationem, elegantiores litteræ ab impurissimorum
temporum fecibus purgatæ, splendorem suum recepe-
runt, & omnis Theologices cognitio unice ex arcanis divina-
rum litterarum oraculis hausta est; Viri summi, summa virium
contentione, id egerunt, ut Scripturas interpretari, & ad so-
lidam earum intelligentiam, abditaque penetrare possent, be-
ne scientes, γραφῶν ἀνάγνωσιν esse γραφῶν ἀνοιξιν. Cognove-
runt insuper, nondum omnia in Scripturæ investigatione satis
superque esse exhausta; si enim omnia jam essent expedita,
nullis amplius opus esset commentariis, qui indies oriuntur
novi; semper adeo relinquitur non expeditum, expediendum
ab aliis. Est labor ille dignus, operæque pretium abunde pen-
sans, quæ illi impenditur, licet multis perquam difficilis, fru-
stranea, & ἀδύνατος visa. Quod vero de Philosophia D.
Huetius, Abricensis Episcopus, Q. Q. Alnet. p. 2. affirmat,
ejus tantam esse immensitatem, ut nunquam in ea tantum
operæ positum sit, quin multo plus supersit ponendum. Illud
majori jure de diviniore Philosophia dicere licebit; siquidem
omnis error in credendis, vel agendis, ex duobus potissimum
illis principiis oritur, scilicet, vel additione ad sanctum DEI
verbum, vel subtractione; prius ducit ad superstitionem, po-
ste-

sterius ad libertinismum, unde omnis perversa ratiocinatio, & Scripturarum interpretatio manat.

§ 2. Postquam igitur jam varia, quæ DEI benignitas est, de pleonasmis, pro ingenii nostri tenuitate, diximus, eandem telam, quoad benignissimum Numen vitam concessurum, siquidem plura adhuc restant, pertexemus, id operam daturi, ut verbis DEI, quæ plena sunt sapientiae, majestatis, & ἀκριβείας, sua semper constet simplicitas, ut omnes, qui vacui sunt a præjudiciis, remque recte putarunt, non poterint dubitare, quin omnia verba peculiarem suam habeant emphasin, & non inanes in iis dari sine sensu litteras.

§ 3. Primus in præsentī nobis sit locus Gen. 1.2., de prima exponens telluris constitutione, eam fuisse, docens, תָּהוּ וְכָהוּ; in quæ nunc inquirere, exordiemur; quibus intelligendis operam impenderunt viri doctissimi.

§ 4. Nobis, qui primorum parentum feri adeo sumus nepotes, atque extrema mundi pars agitur, ad antiquissima tempora, & primam rerum ætatem regredi, totiusque universi telam texere, vel retexere, absque peculiari revelatione, integrum non est.

§ 5. Equidem in primordio mundi, homines verbo DEI scripto carere facile potuisse, ex eo probant doctores, quia doctrina salutis, paucioribus bona ex parte capitibus absolvebatur; & ita facilius incorrupta absque scripturæ subsidio custodiri potuit; crebra nimirum DEI apparitione, oraculis ex cælo, adflatibus, somniis, visionibus, Patriarcharum longævorum fidei item traditione, & viva institutione.

§ 6. Quando itaque vir DEI, Moses, servandæ rerum memoriæ, quem oceanum scientiarum fuisse, dicunt, affirmat. In principio terram fuisse תָּהוּ וְכָהוּ, plerisque Criticis, notante b. Raupio, voculæ hæc sunt synonymæ, & inanitatem notant. Secundum Ebraeos, ita Munsterus, תָּהוּ וְכָהוּ, fere unum, & idem significant. Eodem tenore Vatablus. Voces istæ fere unum & idem significant, cetera. Videantur pluribus Critici sacri, Polus, alique.

§ 7. Quod si ab exordio rem revocemus, & juxta ordinem examinemus, constat, fuisse quosdam, qui præfixum
כ in

ב in בְּרֵשִׁית frustra etiam positum esse, statuunt, uti D. Pareus, primam litteram totius scripturæ redundanter esse positam, contendit, de quibus egregie disputavit D. J. H. Majus in suis dissertationibus.

§ 8. Non licet omnia congerere, quæ multis sententiarum divitiis intricata, singulari attentione, accurataque meditatione, subtiliter Philosophi, operose & vere Theologi, erudite Philologi, de mundi conditu, docuerunt; siquidem multæ harum rerum rationes abstrusæ sunt, & quasi in Democriti puteo demersæ latent, quod si forte quædam erutz, nondum tamen ad liquidum datæ sunt omnes.

§ 9. Ethnici, in densa caligine sua versantes, veram de origine mundi sententiam, vel penitus ignorarunt, vel multis fabulis, erroribusque eam corrumpere. Plerique præter DEum, æternam materiam ei coæternam statuebant. Stoici, causam, sive rationem facientem, & materiam, credebant, duo esse principia, unde omnia facta sint. Aristotelem, cujus libros, notante D. Schurzfleischio, Otto Frisingensis in Germaniam primus intulisse fertur, mundi originem negasse, & ita turpiter lapsus fuisse, quatenus de mundi æternitate, de cælestium corporum vita, de sempiterno fine causa efficiente motu, de DEO rerum inferiorum curam non gerente, aliisque huc spectantibus, demonstrarunt viri in sapientiæ studiis versati; Quamvis non desint, qui ipsius patrocinium in se suscipientes, pluribus probare, contendant, illum mundi causam efficientem, DEum agnovisse. Quos inter primas omnino tenet Scaliger Exercit. 61. §. 3.

§ 10. Quæ scripturæ similia tradiderunt Ovidius, aliique, per traditionem ad illos pervenisse, vix ambigi potest. Omnium nationum fuit communis fides, ita vir quidam celeb., usque ad tempora Alexandri M., quando nonnulli Philosophi, reclamante populo, & non sine metu, inceperunt contra communem fidem disputare, mundi æternitatem ex axioma, *ex nihilo nihil fit*, propugnare, atque ita vano ratiocinio se infatuare, cum satis pelluceat, quam falsum sit axioma respectu omnipotentis divinæ. Atque tam parum perspectam habebant æternam

nam DEI omnipotentis potentiam. Sed omnia heic recensere, lectori tadiofum, imo supervacaneum foret.

§ 11. Thom. Burnetium, ejusque vestigia legentes, Waldfchmidium, Goereum, aliosque examinarunt viri celeberrimi. Proponunt illi telluris originaria, & paradisaica formam, æqualem, & integram, sine montibus, sine mari, sine insulis; situm telluris ad solem rectum, nec inclinatum, æquinoctium perpetuum, & æquabilem totius anni revolutionem. Fingunt, telluris crustam mansisse integram usque ad diluvium, cetera. Non patrocinantur eorum sententia loca Psalm. XC, 2. Prov. IIX, 24. sq., nec est inanis repetitio: *Antequam montes erant, & conderetur mundus. Prius, antequam montes essent, quod informis mundus esset, antequam mundus conderetur, quatenus est formatus mundus.*

§ 12. Spinosa, sacrum illud, & omni execrandum posteritati caput, qui sapius, ex observatione doctorum, vitulo H. Grotii aravit, ejusque rationibus, ad elevandam infallibilem Scripturæ S. majestatem, quam libenter sublatam cupivit, non veretur scribere p. 25. *DEum hunc mundum visibilem ex chaos in ordinem redegeisse, seminaque naturæ indidisse.* Si quam igitur iste mundi originem admittit, eam haud aliam esse putavit, quam quæ in operibus humanis cernitur, describiturque ab Ovidio initio Metamorphoseos. Materiam huic mundo præ-existent, æternam, atque a DEO independentem videtur cum aliis imaginatus, qui æternas corporum simplicium differentias, formas, & qualitates minutissimis materiæ illius partibus attribuebant. Nec tangam, quæ b. D. Fecht, Syllog. p. 160. contra Jac. Böhmium, ex Schola, ut D. Jægerus scribit, sutrina, oriundum, disputavit, aliosque; statuentes, universas res creatas ex DEO, tanquam ex materia prodisse, inque DEum aliquando redituras esse. Moses nullam talis materiæ, sive, sic dicti chaos, fecit mentionem. Absurdum foret, dicere, DEum in principio creasse cælum & terram, & revera tunc jam fuisse terram quandam, quæ chaos diceretur. Kippingius de creatione.

§ 13. B. D. Bajerus Comp. Theol. p. 257, verba Moſis ita

ita interpretatur. In principio produxit DEus ipsum calum, sub forma substantiali cæli, & terram sub forma substantiali terræ, quod partim littera, s. propria significatio nominum cæli & terræ (quæ sine insigni necessitate deferenda non est) partim & illud probat, quod Moses ꝛ emphaticum, s. demonstrativum utrinque addit, quasi digito inteso, hoc cælum, hanc terram significans. Quod autem additur, terram fuisse תרו וברו, equidem negat cultum, & ornatum terræ. Renatus des Cartes PP. III. art. 47. Etsi forte etiam ex chao per leges naturæ, idem ille ordo, qui jam est in rebus deduci posset, idque vel olim susceperim explicandum, quia tamen confusio minus videtur convenire cum summa DEI rerum creatoris perfectione, quam proportio, vel ordo, & minus distincte etiam a nobis percipi potest; nullaque proportio, nullusque ordo simplicior est, & cognitu facilior, quam ille, qui constat omnimoda qualitate. Medit. 4. Si quo peritior est artifex, eo perfectiora opera ab illo proficiantur, quid potest a summo illo rerum omnium conditore factum esse, quod non sit numeris omnibus absolutum, cet. Si quis eo sensu chaos aliquod asserat, ut per illud materiam a DEO creatam, sed nondum digestam intelligat, neutiquam a vero aberrare. Chaos ex oriente esse volunt. *Χαος* enim antiquis Cohum dicebatur, s. a Tohu s. a Bohu, unius litteræ facile permutatione. Hinc latinum inchoo s. inchoo.

§ 14. De cælo beatorum, quænam sit Theologorum sententia, hic non disputabimus pluribus, quatenus ad iorum nostrum non pertinet. Videri hac de re possunt, quæ D. Danhaverus, Fechtius Syllog. p. 191. 194. Lutkenius Coloss. p. 60. D. Rus Harm. P. I. p. 191. aliique, non inrudite docuerunt. Ad scopum nostrum spectat, productionis modum in cæli, terræque creatione fuisse successivum.

§ 15. Potuisset quidem DEus omnia simul cum omni ornatu producere, & simul, ac semel res omnes procreare; docet tamen nos scriptura, DEO aliter visum fuisse, creasse primum cælum, & terram; terram vero fuisse תרו וברו. Qui sagaci judicio orbis natales investigarunt, & ad vivum rese-

card

324b70

care voluerunt, concipiunt cælum, & terram, nude sine motu, deinde motum advenientem: Cum itaque hæc desolata terræ facies esset, Spiritus DEI interea, tertia Deitatis persona (in cujus potestate erat, ut pro suo nutu, quando adlubesceret, aquarum illustraret abyssum, ut appareret arida) ferebatur super aquas, fovens nempe & conservans, ne in nihilum prolaberetur.

§ 16. Celeb. Gussenius ad vocem ברו. *Utrumque significat, in re quapiam, ex. gr. in edificio, defectum, cumque generale, nempe ברו tollit ex materiei aggregato relictitudinem perpendicularem, & est vitium altitudinem afficiens; sed ררו relictitudinem collateralem adimit, ita ut spectet superficies, quæ planæ esse deberent, remque perfectione eo pertinente privatam significet.*

§ 17. Nobis si sententiam, salva, quam doctoribus debemus, reverentia, effari liceat, Moses, summus Ebrzorum vates, ad duo distincta respectum habuisse videtur. Primum, ad ordinem, ornatum, & pulcritudinem, quatenus terra antea aquis obrecta, spissisque tenebris involuta fuit, absque omni partium collocatione, rerumque omnium ad fines sibi & universo orbi convenientes destinatione, siquidem ex consideratione ordinis, pulcritudinis, omnisque ornatus, omnis scia, omnipotens, & summe sapiens causa efficiens immensi illius operis cognoscitur; siquidem confusio minus videtur convenire cum summa DEI, rerum creatoris perfectione, quam proportio & ordo. Ponunt ergo Philosophi, omnem illam materiam, quam DEus primo produxit, & ex qua mundus hic adspectabilis est compositus, fuisse initio a DEO motam, & divisam in particulas quam plurimas; ita, ut tantundem motus acceperint, quantum jam in mundo reperitur. Scita est B. Jo. Gerhardi ad Theologiz studiosos de methodo studii theologici *πρὸς πάντας.*

Ordine, mensura, numero, DEus omnia fecit,

Motibus ut certis convenienter eant.

Irrequieta poli moles certo ordine fertur.

Astra suos cursus ordine cuncta tenent.

Ordine

Ordine conficiunt alias contraria suavem
 Harmoniam in proprio quæque elementa loco;
 Ordine consistit mundi systema per ævum
 Ordine cuncta virent, ordine cuncta vigent.
 Ordine nil mirum magis est (ita Scaliger inquit)
 Hoc sine naturæ machina stare nequit.

DEus Sapient. XI, 21. omnia, legitur, creasse in numero, pondere, & mensura, i. e. distinctissime, & ordinatissime. Sapiens scilicet, ita B. D. Quenstedius, loquitur de operibus creationis absolutis, quatenus sunt in esse, non autem absolvendis, quatenus adhuc in fieri, quale opus fuit prima moles. *Mensura* omni rei modum præfigit. *Numerus* omni rei speciem præbet. *Pondus* omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit; ita beatus Augustinus. B. Andr. Reinbeck de Accent. in hunc modum loquitur p. 127. Terra in creationis principio erat inanis, omnium creaturarum, omnisque ornamentum vacua: imo erat prorsus informis, aquis hæcenus permixta, ex quibus, postea, die tertia, divino mandato quasi coagulata, & in globum terræ compacta fuit, aquis in locum suum collectis, ut apparet arida.

§ 18. Secundum, ad quod Moses respexit, sunt incolæ terræ. Messias, postquam Esai XLV, 12. testatus fuerat, se fecisse terram, manus suas extendisse cælum, v. 18. addit, se terram non fecisse in cassum, ut inornata maneret, sed ut habitaretur. In cassum ergo creata fuisset terra, nisi eo fine facta & formata fuisset, ut in ea habitarent homines, quos ad gloriam suam in æternum salvare constituerat DEus. Eum in finem omnia condidit, ut se gloriosum demonstraret in omnibus. Ad eum finem necesse fuit, ut præter corpora, quæ nec se, nec creatorem suum cognoscere possunt, crearet substantias rationales, ut ab iis cognosceretur, & celebraretur, & illæ ex reliquis DEI operibus DEI perfectiones perspicerent. Substantiæ mere rationales; sunt verba viri celeberrimi, quales sunt Angeli, contemplari opera DEI, & ex iis DEI gloriam cognoscere possunt, sed iis uti non possunt; hinc visum fuit DEO, condere etiam homines, i. e. substantias compositas ex mente & corpore, quæ & contemplari DEI opera, & iis uti etiam, atque in iis tum admirari DEI sapientiam, ac potentiam summam, tum etiam gustare ejus bona-

nitatem possent, atque ita quoque excitari ad DEI amorem, & laudem.

§ 19. Non parum insuper ad scopum faciunt verba Gen. I, 31. *Vidit DEus, omnia, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ex hac approbatione divina, quæ coronis est omnium divinorum operum, & post hominem creatum denique subjicitur, colligere licet, hominem præ cæteris omnibus DEI operibus, summa perfectione & eminentia donatum esse; cum etiam DEus ante conditum hominem res ceteras, ut bonas, quales revera erat, adprobasset, condito jam homine, universum mundum consummatæ perfectionis, & bonitatis encomio deprædicat, certissimo indicio, hominem summum perfectionis gradum mundo contulisse: Omnia a DEO facta esse valde bona, i. e. habuisse perfectum ordinem, & apta fuisse ad finem DEO dignum, gloriam DEI, & hominis usum ac voluptatem. Quibus non modo docuit Moses, bonum fuisse, quod DEus creaturas illas, & inter illas hominem creaverit, aut, quod inter DEI opera & ejus intentionem elegans convenientia & harmonia adparuerit, sed & homini sigillatim bonitatem tribuerit, conditioni & naturæ ejus congruentem, & perfectionem illius ordine & genere dignam, h. e. non tantum, ut loquuntur, physicam, vel metaphysicam, sed etiam moralem, a qua nempe homo maxime bonus adpellari solet, quatenus DEum agnoscebat, creatorem suum, & jure creationis, ac conservationis Dominum; ex dependentia enim physica a DEO, quod ad esse, & bene esse, oritur dependentia (ut vocant) moralis h. e. obligatio ad obsequium in omnibus. Atque ita omnia facta valde bona, apta nata, Creatoris demonstrare, vel cognoscere ac celebrare virtutes, & gloriam.

§ 20. Propterea sunt, qui judicant, Angelos, (quos tunc creatos volunt, quando DEus dixit, *fiat lux*) non esse lapsos ante diem septimum, quia DEus sub finem sexti omnia opera, ut valde bona, adprobavit. Ad sententiam clariss. Altingii statuentis, primas parentes sexto jam die peccasse, die septima vero DEum mundo instaurando novum impendisse laborem, & promississe Messiam; hacce promissione, atque etiam datione Liberatoris, tanquam excellentissimo beneficio, diem

diem septimum beasse; eodem post factam promissionem & mundi restorationem quievissse, & celebrandam singulis sabbathis gratiæ hujus commemorationem Adamo imperasse; Ad hanc sententiam, quam rationibus adstruere conatus est, responderunt pronuper Viri eruditissimi sufficienter.

§ 21. Eleganter quoque, & apposite ad nostrum propositum facit Gen. II, 1. ubi omnes res in exercitus formam a DEO creatæ & redactæ leguntur. Non loquitur Moses de multitudine, quæ absque ordine potest existere, sed de צבא exercitu. In eo enim exercitus a multitudine differt, quod ille sit multitudo, in certum aptata ordinem. Rationes, quare res creatæ omnes exercitus vocantur, variæ sunt: (1) propter immensam multitudinem, ut stellæ nobis sunt fere innumerabiles, qua ratione instructissimum exercitum repræsentant Gen. XV, 5. cap. XXII, 17. utpote splendore, ordine, influentiarum virtute egregiam referentem aciem. (2) propter elegantem dispositionem, quam etiam invariata servant, Psal. IIX, 4. Jerem. XXXV. (3) propter subjectionem, quia regis sui mandata exsequuntur, sistentes eorum cursum, Jos. X, 12. sq. (4) propter potentiam, quia fortes sunt ad pugnandum, & iis DEUS velut exercitu utitur ad salutem piorum, & pœnam impiorum, Judic. V, 20. De cælo dimicatum est contra eos, stellæ in ordine, & cursu adversus Sisseram pugnaverunt, Esai. XLV, 12. De phrasi צבא השמים disputatur valde, notari quoque cælum sanctorum hominum his in terris; Dan. IIX, 9. efferet se usque ad צבא השמים, exercitum cælorum, h. e. usque ad Ecclesiam, ut quidam interpretantur, & cælum sanctorum, qui ibidem כוכבי stellæ dicuntur. Exercitus DEI ecclesiasticus, vel cœtus splendentium in terris fidelium, utpote qui & ipsi sua gaudent luce spiritus, qui certo gubernantur ordine, qui nunquam stant otiosi, qui perpetuas agunt excubias, qui internis non carent fidei virtutumque viribus, V. omnino Noldius Concord. §. 1759.

§ 22. Cum hoc loco non immerito ob materiæ affinitatem conjungimus, alium Prov. IIX, 31., in quo illustrando, & cum aliis conciliando, multorum, in divinis, & sæcularibus

scripturis eruditorum, insumta est opera. Caelestis ibi, æterna, & substantialis, sapientia, consistetur, quod *ludens sit, fuerit-que* (participium actum continuum involuit) **לִבְרַבְרָא אֵרָצוֹ**, Lutherus. Und ich spielete auf seinem Erdboden. Alii. In dem tragenden Lande seiner Erde. Seb. Schmidt. *Ludens in orbe terre ipsius.*

§ 23. Æternus DEI Filius vocat se SAPIENTIAM, non modo, (1) quia per summam sapientiam Salomonis præfiguratus, sed (2) a Patre, qui solus sapientiam possidet, ab æterno genitus, (3) cum quo Pater sapientissime pacis consilium iniit, (4) in quo omnes thesauri sapientiæ sunt absconditi, quæ omnem Angelorum, & hominum captum transcendit, (5) docens nos ex sinu Patris veram sapientiam, viam, quam ambulare decet, (6) referans omnes prophetias, typos, & parabolas. (7) Qui semper sapientissime agit, Esai. Lll, 13, ut, quod homines impudenter peccarunt, ipse per suam sapientiam refarciret. (8) In primis in redemptione per ipsum conspicua est DEI sapientia. Ex eo enim non solum intelligi potest, quo modo DEUS, cum demonstratione perfectionum, & virtutum suarum, atque ad laudem gloriæ gratiæ suæ, modo se digno salvet, ac beet peccatorem, sed & cur mundum creaverit, peccatorem conservare, & tolerare voluerit. Veteres Ebræorum sapientes, hoc modo duplicem in sapientia **חָכְמָה** considerasse, ex scriptis eorum constat, quarum altera quidem absolutata sit, altera vero æconomica, & ad homines relata, qui sapientiam non simpliciter, ut secundam Saphiram, & principium reliquarum contemplari debeant, quæ contemplatio & difficilior, & inutilior futura esset; sed æconomice, quatenus hominibus a DEO facta est sapientia I. Corinth. I, 30. ita illis cognoscenda, ut *veritas in illa est* Eph. IV, 21. in qua cognitione omnes thesauri sapientiæ, & notitiæ sunt absconditi, Coloss. II, 2. 3. & salus denique ipsa, Joan. XVII, 3. In plurali vocatur **חֲכָמִים**, quæ multitudinem, atque abundantiam, & plenissimam plenitudinem significant, cet. Neh. IX, 17. I. Sam. II, 3. Psal. LXXIX, 21. Psal. XVI, 11.

§ 24. Theatrum divini huius lusus sistitur **אֵרָצוֹ & תִּבְרָא**. Hæc duo alibi quoque in sacris conjunguntur, Job. XXXVII, 12. Ipse per circuitus obambulat, per prudentiam suam juxta opus eorum, juxta
omnis

omnia, quae praeceperit illis על פני תבל ארצו, super faciebus orbis in terram. Psal. XIX, 5. In omnem הארץ, terram, exivit linea eorum, & in fines תבל orbis, verba eorum. Psal. LXXXIX, 12. Tui sunt caeli, etiam tua est ארץ terra, תבל orbem, & plenitudinem ejus tu fundasti, Psal. XC, 2. cer.

§ 25. Non libet prolixè inquirere in originem vocis תבל, quae philologis nonnihil negotii faceffivit. Sunt, qui eam a בבל miscuit, & diversas res cum aliis confudit, deducunt, quoniam in terra omnia inter se permixta sunt, homines, animalia, arbores, & varia creaturarum genera; vel, quod diluvio omnia confusa fuerint, ut a תבל, quod per geminum Sægol scribitur, & aliam nefariam commixtionem indicat, discernatur.

§ 26. Quid vidit Arias, scribit Drusius, emendans confusionem, an putavit a בבל deduci? si sic putavit, fallitur toto caelo. Celeb. Vitringa Observatt. l. 1. haud dubium est, quin בבל ad בבל debeat referri. Abenestæ enim conjectura, quod בבל esset, quasi באבל, venit confusio, dudum a viris doctis est explosa. Quanto satius est, addit, illud deducere από τὸ בבל, vel בבל, balbul, balbus. Quin imò ab hac voce babel, & belgicum, Babbelen; Vide ibidem plura. Aliis probabilior videtur vocis תבל derivatio, a יבל, agere, ducere, ferre, quatenus fructum fert, & non est mare, non desertum, non stagnum. A græcis redditur per οἰκισμένην, i. e. τόπος οἰκήσεως, locus habitationis, ubi degunt homines; sic refert sanctus Evangelista Lucas cap. II, 1. Jussisse Cæsarem Augustum Judæam, imò πᾶσαν τὴν οἰκισμένην, quæ quidem finibus imperii romani continetur, describi. Nec enim accedere possum, sunt verba litteratissimi D. Jac. Perizonii, virorum eruditorum sententia, qui πᾶσαν τὴν οἰκισμένην heic improprie prorsus, & abusive de terra tantum Israëlita, vel Judæa accipiunt, quippe quum nullam prorsus videam rationem, a genuino, & usitato hujus locationis significato in tantum recedendi. Certum utique phrasi isthac proprie designari orbis terrarum eam partem, quæ hominibus tum incolebatur, vel illis nota erat. Matth. XXIV, 14. Et prædicabitur Evangelium re-

gri εν ὅλη οικουμένη, in testimonium omnibus gentibus. Ceterum, quia orbis habitabilis complectebatur imperium romanum, & quia, quæ extra illud sita erant, vix erant cognita, inde factum, ut Romani, & qui Romanis subiecti, hoc eorum imperium υπερβολικῶς designare totius orbis, vel græce πάσης τῆς οικουμένης appellatione, populumque ipsum dominum gentium vocare fuerint soliti. Atque adeo hinc a christianis etiam concilia ecclesiastica totius, Romanorum imperii dicebantur proprie σύνοδοι οἰκουμενικαί. Nulla in hisce ratio comparet, coercendæ in arctum, præter usitatum ceteroquin morem, significationis; Vide ibidem passim plura.

§ 27. Ad alteram quod attinet vocem ארץ, (unde Germanorum Erde / Erð / Belgarum Marde) de ejus appellationis ratione, atque origine, dissentientes sunt inter Judæos pariter atque Christianos sententiæ. De voce ארץ, scribit D. Heeserus, unde sit dicta, adhuc in quæstione est, & erit, quamdiu hæc lingua erit. Quidam, appellatam, censent, παρα τὴν ῥαζαν, voluit, delectatus est, propterea, quod ejus adspectu maxime delectentur terricolæ, vel, quod terra jugiter adpetat adferre fructum. Nonnulli a verbo רוץ, quod currere significat, nomen deductum, existimant, propter sphericum illud corpus supernum, ut Fagius loquitur, quod terram perpetuo cursu jugiter ambit. Majori forte specie, scribit D. Majus, Mathematici, qui pro motu terræ pugnant, dicere possent, quod M. Nicolai fecisse, Calovius testatur, ejus motum, cursumve voce ארץ indicari. Alii, eam compositam esse, autumant ex אר non & רוץ, currere, quod non moveatur, sed mole sua stet Vestæ. Nonnulli a רצו, contere, collidere, similem in modum, ac latinis a terendo, dictam esse terram, quod teratur & calcetur pedibus.

§ 28. Veram originem ex arabismo repetunt; in hac lingua superstes est hebraica radix, Araza, depressum & humile esse, notat. Sic terra a situ convenienter sortita est nomen. Humilem enim depressumque locum habet, & sua gravitate deprimitur. B. D. Casp. Neumannus, ארץ est א אריות, ר exteriora, & valde contiguans; unde ארץ terra, corpus fixum, firmum, spissum & contiguum, cui opponuntur מים fluida, & שמים.

Ebræo-

Ebræorum גַּי, Gai, vel Ge, pene ubique vallem vertunt, sed omnem insuper planiciem, regionem, tractum in mare, vel montes plerumque desinentem, vel ex mari, vel in montem exsurgentem notare, græca lingua nos docet, ubi latiore omnis terræ sensu accipiuntur passim γαῖα & γῆ, vocabula haud dubie inde formata; V. D. Perizonii Orig. Babylonica cap. 11.

§ 29. An D. Gussæti apodictice satis probaverit, אֶרֶץ nullibi in sacris notare terram Canaan, non sine ratione dubitatur. Contrarium asserunt D. Geierus Psalm. LXXXII, 5. Byneus de Natali p. 304. Relandus Palæstina p. m. 28. sq. conf. sis Basnagii Exercit. p. 184. sq. D. D. Ikenius in doctiss. dissert. I. de duobus panibus pentecostalibus cap. 2. §. 4.

§ 30. Ut igitur, observata debita vocum distinctione, ad genuinum verborum Salomonis sensum penetremus. Per תְּבֵלָה quidam hic intelligunt terram Canaan, per אֶרֶץ, totum, qua patet, orbem, & regiones, in quibus degebant gentes. Sunt alii, qui, respectum habuisse Salomonem, volunt ad V. & N. T. Alii per אֶרֶץ totum terrarum orbem, per תְּבֵלָה, habitabilem.

§ 31. At enim vero, qui per תְּבֵלָה Ecclesiam, DEI regnum, per אֶרֶץ vero, reliquam a DEO creatam terram intelligunt, a scopo non aberrare videntur. Est Ecclesia regnum cælorum, est terra mari opposita, est ager Domini per Evangelii verbum excultus, in quo feritur, & meritur. Sunt ibi plantæ spirituales, sunt arbores ferentes, non modo folia, externam videlicet fidei confessionem, speciem pietatis, sermonesque de Christo; sed & fructus, i. e. cogitata, verba, & facta DEO digna, & gloriosa, homini salutaria. Sunt ibi plantatæ ad rivulos aquarum, quatenus sentiunt influxum Spiritus S. copiosissimum. Sic sunt sancti σὺμφοροι Christo Rom. VI, 5. ab ipso portantur, ut rami ab arbore, Joan. XV, 4. 5. & in ipso radicati per fidem, & in charitate. Coloss. II, 7. Eph. III, 17. impleti fructibus justitiæ, qui sunt per Jesum Christum ad gloriam, & laudem DEI Philip. I, 11. Justus ibi ut palma germinabit, ut cedrus in libano crescat. Plantati in domo Jehovæ, in atriis DEI nostri germina profundunt, Psal. XCII, 13. 14. Vestiunt pascua oves, & valles operiunt se frumento, Psal. XV, 14. Lux ibi est sata iusto, & rectis animo

animo letitia, Psal. XCVII, 11. Ibi in media platea ejus, & ex utraque parte fluminis, est arbor vitæ, ferens fructus duodecim, per menses singulos, edens fructum suum, & folia sua ad sanationem gentium, Apoc. XXII, 2. Apoc. XIII, 1, sq. mentio fit duarum bestiarum, quarum altera de mari adscenderit, altera e terra ab aquis separata. Mare in oppositione ad terram ponitur pro regione, ubi gentilissimus dominatur, imperium politicum, & gentile. Maria, scribit Corn. a Lapide, designant corda infidelium, & peccatorum. Cum Joanni Apoc. II, 8. representatur, exsententia D. Cocceji, everfio politix judaicae, vidit montem ingentem, ardentem, in mare precipitari; Vide inderim D. Vitrunga, & Andala in h. l. Esai c. 26, 9. inquit Propheta. Quando judicia tua fiunt, o Jehova, יִשְׁבִּי תְּהִלָּה לְאֶרֶץ, justitiam discunt, habitantes orbis; hi sunt veri fideles Ecclesiae militantis. Insignis quoque occurrit locus Ps. XCVI, 1, Jehova venit לְשִׁפְטֵי אֶרֶץ ad judicandam terram, יִשְׁפֹּט תְּהִלָּה, judicabit orbem in justitia, & עַמִּים, populos in veritate. Per אֶרֶץ non incommode intelligi potest orbis universus in genere; per תְּהִלָּה Ecclesia Christi in terris degens, & militans, per עַמִּים judæi per universum dispersi, duodecim tribus Israël. 1. Sam II, 8. Jehovæ sunt bases אֶרֶץ, & disposuit super iis תְּהִלָּה. Lugebunt omnes generationes terræ, h. e. homines terreni distincti a fidelibus terræ, Apoc. I, 7. Psal. XCVI, 11. Letabuntur cæli, habitantes in cælo, & terra, fideles in ea gaudebunt. Confer sis Ps. XIX, 5. Ps. XXIV, 12. Ps. LXXXIX, 12. Plura addere, temporis in præsens non permittit ratio.

§ 32. De iis, scilicet תְּהִלָּה & אֶרֶץ, asserit æterna Sapientia, quod מְשִׁקֵּי מוֹדֵם, ludens sit in illis. Corn. a Lapide, teste B. D. Geiero, illustrat hoc, quod continue ibi nova producat animalia, novas pisces, novas aves, nova saxa, novas arbores, novos foetus tam artis, quam naturæ. Item ludit in cælis per eclipses, per hiatus, cet. In aëre per fulmina, tonitrua, halones, parelios, cometas, dracones, ceteraque phænomena, ac per ventos, nives, grandines. In terra & aquis per monstra marina, & terrestria, per æstus, & fluxus, per terræ motus, fossilia, mineralia, cet. Maxime in hominibus, tam varias iis indens indoles, voces, yultus, ut nullus alteri per omnia sit similis, cet.

§ 33. Aft non existimandum, judicat vir quidam doctissimus, spectare duntaxat summam sapientiam ad physicum rerum naturalium circuitum, quæ ut rerum spiritualium emblemata considerantur. Ludum sapientiæ observat heic geminum. Priorem lusum referendum esse ad præludia illa typorum, & figurarum V. T., quibus sapientia prælusit veritati. Posteriori vero, priori ex adverso respondentem, pertinere ad veritatem N. T., qua Christus, in theatro Ἰησ. ἐκκεκρυσσέναι spectaculum illud edens, cui in scena terræ Canaan præluserat, typos, & figuras omnes implet, ac V. T. lusum quasi instaurat, iteratque, simul hostes suos sublans, & Ecclesia se sua lætificans. Matth. XI, 17. inquit Messias. *Tibia cecinimus vobis, sed non saltastis, lugubria cecinimus vobis, sed non planxistis.* Obrectatores vitam ejus incusabant, dum ut *Φάγοντα*, ac *οἰνοπότην* eum traducebant. Miraculis fuit inclitus, quæ ut numero infinita, sic ratione objectorum universalis erant, in omnes creaturas, diabolos, mare, ventos, pisces, panes, porcos, aquam, ficum, omnia morborum genera, denique in mortem ipsam.

§ 34. Egredia sunt, quæ cel. D. Witsius suppeditavit, cujus verba merentur, ut a nobis adlegentur. Juvat hic rerum primordia, gentium origines, artium initia, Regnorum imperiorumque natales, migrationes, diffusionesque populorum, quibus repletus paulatim orbis terrarum est, rudimenta legum, non tabulis, non æri, sed mentibus inscripta, & quod caput rei est, antiquissima religionis instituta, quasi ex tabella discere. Juvat hic perspicere singularem DEI erga Abrahamum, Isaacum, hujusque ex Jacobo nepotes benevolentiam; quos per vastas Arabum solitudines totis quadraginta annis palantes insolito prorsus modo duxit rexitque; quibus leges suas e medio tonitruum, ac fulgetrorum in montis Sinai cacumine promulgavit; quibus per Moysen totam cultus sui speciem præformavit prorsus sapientissimam, neque populi solummodo genio attemperatam, verum & arcanis fœtam significationibus, quamque propterea suscipere tenebantur, uti gymnasium aliquod rerum maximarum, quæ de promisso sibi Messia cognoscendæ, credendæ, sperandæ erant. Juvat & altius eyechi, ad meditationem

tionem nimirum æterni illius consilii, quo generis humani fata DEus disposuit; quo divitias gloriosæ gratiæ conspiciendas facere decrevit. Juvat, eadem pagina magistra, cognoscere, quibus primum verborum ambagibus, & typorum figurarumque involucris, deinde disertis magis ac perspicuo sermone, in quo priscorum ænigmatum clavem deprehendas, consilium illud suum multis vicibus, multisque modis, electo populo exposuerit; qua dispensationum varietate, grande illud quoque, quod moliebatur, opus, tandem patraverit, misso in terram Filio, qui & vitæ exactissima sanctitate, & morte pro peccatis obita, divinæ satisfecit justitiæ, stupendisque prodigiis, corporis sui ex mortuis suscitatione, & supra cælos evectione, spiritusque in Apostolos effusione, rebellium denique Judæorum justissima excidione, gentiumque in eorum locum gratiosa vocatione, servatorem se generis humani esse, palam demonstravit, cetera. Quæ de infantia servatoris narrantur fabulæ, legi possunt in Memoriali B. D. Danhaweri p. 85. it. libro D. Sike de infantia Servatoris, per totum.

§ 35. Sed properandum nobis ad alia. Meditationem haud proletariam meretur sermo, quem cum hujus universi Domino, & hominum iudice, habuit, vir divinisissimus, Abraham, Gen. XIX, 27. se *עפר ואפר*, pulverem, & cinerem, vocitans. Quæ verba attento prorsus examine digna, quo, quid ibi sit veritatis, dispalescat.

§ 36. Scilicet proposuerat v. 22. cap. citati, interioris admissionis minister, Moses, colloquium viros divinos inter, & Abrahamum, hujusque intercessionem pro urbe per varias instantias. Inter illas non minima videtur, quod Abraham, fortis humanæ, suæque fragilitatis, memor, se vocat *pulverem & cinerem*. Excusat iteratas quæstiones, quibus par erga parem decentius usus esset, quam mortalis erga DEum. *Pulvis & cinis*, ita Jo. Clericus, sunt synonyma apud Hebræos, ut apud Græcos. LXX. *Ἐγώ εἰμι γῆ, καὶ σπέρδος*, ego autem sum terra, & cinis. Vatablus reddit, *Etiamsi sum abjectissimus*; V. Drusius in Not. majoribus, cet.

§ 37. Erat Abrahamus, vir ille divinus, cujus sapien-
tia,

tia, virtus, & pietas, non solum in populo DEI, sed & apud
exteros, perquam fuit illustris; quo nemo in terris unquam
familiarius usus est DEO. Re enim vera ei modo clariori, &
magis familiari sese revelavit, quam ulli alii. Apud eum est
diversatus, pedes suos ipsi lavandos tradidit, ore ad os ab eo
conspectus, mensa, epulisque ejus, ut conviva, accubuit, cum
eo familiarissime deambulavit, consilium de perdenda Sodo-
ma ipsi aperuit. Inde obscurum esse non potest, quomodo
inde manaverit titulus intimi DEI amici Abrahamo datus
2. Chron. XX, it. Esai XLI, 8. Unde & Gen. XXIII, 20. illustri pla-
ne nomine אברהם שליח salutatur propter excellentiam po-
liticam; quem DEus non celavit consilia sua, sed arcanorum
unicum depositarium fecit. Patrem credentium eum nominat
Paulus Rom. IV, 11., quia fides in ipso posita fuit, quæ esset
exemplar fidei per fœdus DEI requisitæ, ab omnibus justifican-
dis. Tam enim ipse fuit credentium pater, scribit D. Gussler,
quam Jabal fuit pater habitantium in tentoriis, quamque Jubal
pater attrectantium citharam, & organon dulce canentium.
Non quasi res ipsa nondum ab ullo factitata fuisset. Nam Jabale
antiquiores carere non potuerunt tentoriis; & sane, qui urbem
condere sciebant, an ignorassent tentoriorum fabricam facili-
orem. Pater igitur dicitur, qui rem rudem adhuc, & incho-
atam tantum ad perfectionem perduxit. Non minus pater
credentium Abraham; quanquam ante Abrahamum multi
crediderunt. Unde emphatice plane Jacobus in epistola ab hoc
titulo exorditur argumentum, quo evicturus est fidem ab Abra-
hamicæ natura differentem, mortuam esse.

§ 38. Et hæc forte est ratio, quare Messias Luc X, 24.
prædicet, multos Reges, & Prophetas (quia hi sunt viri illustrissi-
mi, excellentissimique) videre desiderasse diem Domini; quibus Mat-
thæus cap. XIII, 16. justos adjungit. Per quos nonnulli Patriar-
chas, tempore promissionis, viventes, intelligunt, in pri-
mis Abrahamum, quatenus a regibus, prophetisque distin-
guuntur, conf. Joan. VIII.

§ 39. Dictus est אב רם, pater excelsi, nempe Messias,
item pater excelsus; haberi quippe debuit altissimus inter homi-
nes,

nes, cui regum nullus comparari potest, utpote his multum excellentiori. Adpellatur העבר Gen. XIV, 13. *Ebræus*, tum quod e posteritate Eberi esset, (quæ sententia non contemnendis freta rationibus) tum quod Euphratem e Chaldæa in Canaanam migrans transisset ; a græcis Interpretibus redditur περατης ab Aquila περατης ; vide, sis, pluribus B. D. Calovii Criticum s. Steph. Morinum de lingua primæva cap. 10. cet.

§ 40. Eo quoque referre satagunt sagaces scripturæ scrutatores verba Psal. CV, 15. *Ne tangite unctos meos, & prophetis meis ne facite malum.* Per *unctos* intelligendos esse Patriarchas, qui peregrinati sunt in terra promissa de gente in gentem. Hi *uncti* vocantur, quia oleo, non regali, aut sacerdotali, qualiter sequioribus temporibus sub æconomia mosaica obtinuit ; sed spirituali *uncti* erant, sicut omnes omnium temporum fideles, ob dona Spiritus S., quæ possident, licet varia mensura, dici possunt *uncti*. *Prophetas* Spiritus S. vocat Patriarchas, quia sibi DEus intima eos familiaritate junxerat, voluntatis ad homines divinæ, quibuscum in suis itineribus conversabantur, aut inter quos sua tentoria erexerant, ut fidelissimos interpretes V. b. Geierus in h. l. it. B. Seb. Schmidius Gen. c. 15. Si plura doctorum suffragia quis requirat ; adeat D. Wittichii Theologiam defensam, D. Clasingii tract. de Unctione, aliosque. Eam ob causam spectandus quoque proponitur quod futurus sit ברכה in abstracto, mera & summa benedictio, cui nihil ad benedictionem desit.

§. 41. Licet itaque talis ; ac tam magnus vir DEI fuerit Abrahamus ; attamen se humillima veneratione coram עפר ואפר demittens, confitetur se esse עפר ואפר, *pulverem & cinerem*. Pulvis in sacris, vel, corporaliter venit, notatque partem terræ minutam, pedibus hominum cum primis expositam, nullius fere saporis, usus, & odoris. Hinc Christus Matth. X, 14. discipulis in mandatis dedit, pulverem pedum suorum in contumaces excutere. Quæ excussione pulveris, testari debebant, observante cel. D. Rus, Apostoli, se nil eorum, quibus annunciabant regnum cælorum, appetiisse, & ne pulvisculum quidem ipsorum adhæsisse sibi, ut lucrum, quæstumve apud

apud ipsos facerent. Sed nec ullam iis, quamdiu tales permanserint, regni gratia contemtoribus, cum piis, regnique calorum hæredibus communionem amplius futuram, sed potius maledictioni obnoxios futuros eosdem, ut tandem subvertantur penitus, & pulvis illorum vix suffecturus sit hostibus, & copiosis, & maxime crudelibus.

§ 42. In sensu metaphorico, five, spiritali notat pulvis, omnisque, homines, eosque, vel viventes, peccaminosum in carne corpus circumferentes. *Ille enim novit figmentum nostrum, memor est, quod pulvis nos*, Ps. CIII, 14. Impii cum primis comparantur cum pulvere, quia sunt res nihili, nullius momenti, quia glebæ, & pulveri sunt addicti, quorum desideria feruntur in pulverem, avide solummodo cupientes, & quærentes hujus mundi caduca, & terrena, quia flatu narium DEI, ut pulvis, dispergentur, & tandem comburendi, Matth. III, 12. De Goële suo confitetur Jobus יקום עפר-על, *super pulverem stabit*, cap. XIX, 25. Pro mortuis usurpatur Psal. XXX, 10. *Quid lucri erit in sanguine meo, si descendero in foveam, num confitebitur tibi pulvis.* Judæi, אדם Adamum, ajunt, significare אפר cinerem, דם sanguinem, & מרמר amarum, V. Joan. Cyprianus de nomine Christi ecclesiastico acrosticho § 15.

§ 43. Si quando igitur Abraham se pulverem vocat cineremque, עפר ואפר, ad duo potissimum attendisse nobis videtur; primum, ad ortum, & originem suam, quatenus, ex pulvere terræ se formatum, agnoscit; deinde ad suam infirmitatem, quatenus peccatis fuit obnoxius, & non sine crimine vixit. Equidem videri hic posset inanis repetitio, quod Gen. I, 26. homo describitur creatus ad imaginem, & similitudinem DEI. Capite vero secundo v. 7. *ex pulvere terræ.* At enim in priori exprimi volunt qualitates hominis, in posteriori ejus essentiam. Non desunt, qui affirmant, prius pertinere ad mentis creationem, dum Moses, hominem, docet, creatum esse ad imaginem & similitudinem DEI, i. e. talem, qui conditione, ingenio, & actionibus non sit similis brutis, sed quam simillimus DEO. Deus indidit homini animam, non eductam e sua substantia, quia est impartibilis, nec creaturis miscetur; nec

ex materia spiritali, quia anima quacunq[ue] ratione materiata esset divisibilis; nec ex anima rationali, quia sic fuisset anima aliqua rationalis, antequam prima anima a DEO esset producta; nec ex corporeo elemento, sic enim esset corruptibilis; sed ex nihilo pure negativo. Ad corpus pertinere, quando cap. II, 7. *ex pulvere terræ* formatus narratur. Quidam hic synchysin, sive trajectionem & hypallagen, subesse volunt, ut legendum sit pro *עפר מן ארמו*, *מן עפר ארמו*, V. b. D. Noldii Concord. partic. p. m. 799.

§ 44. Quod homo primus, cum ex pulvere terræ formatus legitur, ex abjectissima terræ particula creatus sit; pulveris vox id necessario non infert; datur enim, D. Majo docente, etiam pulvis aureus, arena aurea, (Goldsand) qualis haud dubie fuit ubique, priusquam terra maledictioni fuit subiecta. Non ignoro, produci posse loca, quæ diversum suadeant, præsertim illud ipsum, quod DEus post lapsum ad Adamum dixit Gen. III, 19. *quod reverti debeat in pulverem, unde desumptus sit*, conf. Eccles. XII, 7. At in promptu est, quod respondeam, nimirum, post lapsum remansisse tantum allusionem ad terram, ex qua formatus erat. Magnum discrimen esse inter Adam, Enosch & Methom, sciunt, qui vel prioribus labris ebraica degustarunt. Jam vero non hoc, sed prius nomen obtinuit homo reclusus, atque integer creatus; neque prius, sed posterius miseriam & mortalitatem nostram declarat. Disputent eruditi, an in verbis pœnam denuntiantibus Gen. III, 19. *Pulvis es*, cet., debeat intelligi pulvis, non physice, pro materia, ex qua primus homo erat conditus, sed moraliter, pro corruptione lapsum consequente? Explicant quidam, stilum sacri codicis, verbis naturam hominis exprimentibus, exprimere hominis corruptionem; ut Gen. VI, 3. *Non disceptabit spiritus meus in seculum de homine, quandoquidem & ipse caro est*; siquidem ante lapsum homo nullibi in sacris vocatur caro. Juxta hunc stilum non est absurdus hic sensus. *Nil nisi pulvis es*, h. e. elongatus a spiritu, & vita, DEI, & sic corruptus. Vitaretur hoc modo tautologia, quæ alias magna foret in hoc versu. Absurdum quoque videretur, quod in hac pœnali denuntiatione, Adamo facta, nullibi

nullibi ei ipsius corruptio insinuaretur. Postquam relinquere debebat pulcherrimam Edenis terram, domicilium formosissimum, hortum amoenissimum, nunc pulvis factus; ideo & recedentes a DEO scripti leguntur *in terram*, Jerem. XVII, 13, quatenus facile extirpari possunt. Quid de vocibus Gen. II, 7. **חַי וְנָשָׂא** in plurali, quibus, DEum, hominem respirare, fecisse, atque omne illud contulisse, quod vitæ nomine venire potest, significatur, sit credendum, legi potest apud B. D. Varenium, aliosque.

§ 45. Sunt alii, qui Abrahamum respectum habuisse volunt (1) ad fragilitatem, vilitatemque suæ humanæ vitæ, (2) ad originem. Alii (1) ad peccatum, (2) ad mortalitatem.

§ 46. Sed ad alia. Quandoquidem etiam de promissione DEI Abrahamo facta de semine numero Gen. XXII, 17, *Multiplicando multiplicaturus sum semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est ad litus maris; non omnibus una, eademque est sententia, nec eodem modo hæc difficultas ab Interpretibus removeretur; licebit & nobis eandem reverenter, juxta & diligenter, excutere brevibus, siquidem pietatis Christianæ interest, ut sancte, & animo obsequioso, elucidetur.*

§ 47. Cel. Brunsmannus pluribus disputat contra falsam illorum opinionem, qui, facile stellarum numerum posse iniri, credunt. Verum sermonem hic non esse, de conjecturali numeratione, quæ majus assequitur, aut minus; de numeratione impossibili simpliciter & omnibus; a sanctis enim Angelis, & beatis in alteram translatis vitam, posse, ut DEus voluerit, numerari, nemo magnopere negabit, non officientibus verbis Psalm. CXLVII, 4., quibus DEus solus dicitur numerare stellas. His igitur exclusis, id modo quæritur, anne mortales stellarum certum possint inire numerum? Hoc negat scriptura, & merito, quia nullius in terris oculi, quomodocunque comparentur, omnia tantæ vastitatis abyssu a nobis remota, & longinqua, videre perfecte, & discere, nedum numerare possunt. Quamvis enim Astronomi in subsidium memoriæ, facilioremque determinationem phænomenorum cælestium, non solum ratione magnitudinis, in sex distinxerint classes, sed etiam

etiam in certas figuras, quas asterismos vocant, retulerint stellas, sicque numerum earundem constituerint aliquem; non tamen per hoc institutum præsumere sibi, multitudinem stellarum omnium, etiam visu non armato conspicuarum, exacte determinare, sed eas solum dedere, de quarum longitudine, & latitudine, siue sito in cælo, constat plenius; id, ipsis ex Astronomis, Ricciolus libro sexto Almagesti, & in physicis commentariis Gassendus confitentur; conf. sis b. Georg. Albert. Hambergerum de usu Matheseos in Theologia.

§ 48. Qui in verbis adductis proverbialem tantum locutionem quarunt, suo abundant sensu. Scilicet Abrahamo, annum ætatis septuagesimum ac quintum agenti, semen promittitur, tam miris modis, ut ejus accipiendi gratia, patriam, consanguineosque deferat, in locum ignotum, & futurum quidem incommodum, migrans. Non tamen filius ei cito datur, prout accelerationem illa ætas senilis fereque effæta postulabat; sed differtur per annos 25. Intervallum temporis tam diuturnum, ut adigeretur Abraham, solatia insipida sibi fingere, modo in servo vili adoptando, quasi & hærede instituendo, modo in filio concubinæ servæ, habendo vice filii Saræ; Vide præter ceteros, qui fata Abrahami consignarunt, etiam D. Gusssetium de hac materia.

§ 49. Constat, in sacris memorari duplex hujus Patriarchæ semen, excepto singulari illo primario, omni semini anteposendo, caput, & potentiam serpentis contrituro, quod esset benedictionis causa, in cujus communione gentes consequerentur benedictionem, atque ita persona divina, cum solius DEI sit, realem & actualement largiri benedictionem, ac proinde Filius DEI, in cujus communione fideles benedicuntur omni benedictione spiritali, Eph. I, 3. Rom. VIII, 32. Ebr. V, 9. qui est צֶמֶח צְדִיק, *germen justum*, Jerem. XXXIII, 5.; quem Nazarethi habitaturum esse, non sine ratione ex Ezech. cap. XVII, 22. probare conatus est cel. D. J. van der Wayen, quemque Nazarenum vocari debuisse, ipse Abarbenel colligit, vi Jerem. XXXI, 6. Quomodo facile tolleretur difficultas illa Matth. II, 23.

§ 50.

§ 50. Notavimus alibi, quatuor esse modos, quibus, DEI voluntate, homines in lucem sunt editi. Primus, cum sapientissimus rerum Opifex hominem ex pulvere terræ formavit absque patre & matre. Secundus, cum homo, Eva scilicet, absque muliere ex solo quasi viro formata est, dum DEUS ex costa illa, quam sumserat de Adamo, mulierem extruxit. Tertius est prorsus mysteriorum, & miraculosus, cui nihil par, aut geminum unquam est visum, cum cœli, terræque Dominus, æternus Patris Filius, in temporis plenitudine, assumpsit ex intactæ virginitatis semella, citra omnem virilem operam, carnem humanam, & ita caruit patre. Quartus est modus ille naturalis, & ordinarius, quo parentes, DEO sic clementer ordinante, ex se per generationem producant ejusdem naturæ homines; atque ita successive prolis per cuncta sæcula genus humanum est propagatum, & feri veniunt nepotes.

§ 51. Duplex vero in sacris memoratur semen Abrahami. Unum est carnale illud, pulvereum, glebæ terrestri additum, tenebrosus, non splendens, serviens tantum elementis mundi, cui potissimum dederat DEUS in portionem, & hæreditatem tractum terræ cananæ. Alterum spirituale, cæleste, lucidum, coruscans splendore lucis, & gloriæ, instar stellarum. Lucet illorum intellectus cognitione spirituali, lucet voluntas vera, & non fucata pietate, lucet integra vita studio bonorum operum. Fideles enim sunt lux in Domino, sunt stellæ. Dan. XII, 3. *Intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, qui nempe alios erudierunt, & מְצִיִּיקִים, h. e. interprete B. Cundisio, justificantes, seu, ad justitiam erudientes, qua adpellatione pulcherrima notat Angelus genus doctrinæ, quod isti Doctores tradituri sint, quasi dicat, cum hæctenus homines in regno Antichristi in colendo idolo Mausim occupati fuerint, singulari DEI beneficio postremis mundi temporibus mittentur Doctores, qui afflictis ostendent conscientiis, quomodo fide sola in Christum justificari, & salvari debeant, B. Gesnerus Disp. 12. super Danielelem. Vulgatus Interpres non satis bene reddidit. Qui autem docti fuerint. Qua ratione locus Eph. V, 8. Eratis enim quondam tenebræ, nunc vero lux in Domino estis, ex gentiliū*

D

tilium sacris, de Diana, & Lucina, cujus splendidum templum tunc temporis Ephesi erat, illustrari possit, ingeniose demonstravit cel. D. Tako Hajo van den Honert, conf. D. Hebenstreit disp. de Epiphaniis. Præcursor Christi vocatur ὁ ἑσπερινός, qualis nocturno tempore accenditur Joan. V, 35. Apostoli, fidelesque N. T. Φῶς & Φωτισμός, Matth. V, 14. Phil. II, 15.

§ 52. B. D. Calovius, Triplices, scribit, filii sunt Abrahami (1) carnales tantum, qui secundum carnem ab eo descendunt. (2) carnales, & spirituales, qualis erant fideles Israelitarum. (3) spirituales tantum, quales sunt gentiles, fide Abrahami præditi, qui promissionis filii dicuntur, tum quod iis etiam facta sit promissio, quodque in peculium DEI, vi promissiones divinae, adsciri sint, tum, quod promissionem divinam vera fide suscipiant, fœderique divino inferantur. Nervose B. D. Seb. Schmidt in cap. 7. poster. libri Samuelis, ad verba Gen. XXII, 17. 18. *Benedicendo benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cælorum, & sicut arenam, cet.* Quod Abrahamo ibi dictum est; *Et benedicendo benedicam tibi*; hic illi relinquitur, quia in propria persona ipsi competit. Quod (2) illi dictum, *faciam te in gentem magnam*, de posteritate ejus universa exponitur hic, cum dicitur. *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cælorum, & sicut arenam, quæ est super littore maris.* (3) Quod tandem additur. *Et benedictæ erunt in te omnes familie terre*; de semine singulari, quod est Christus, intelligendum esse, docent verba. *Et benedictæ erunt in semine tuo omnes gentes terre.* Eandem explicationem subministrat eadem promissio Isaac, filio Abrahami, repetita, Gen. XXVI, 3. 4. Observandum quoque, Circumcisionem in sacris duplicem esse, cordis, & carnis. Illam frequentius Prophetæ commendant, & urgent, quam circumcissionem corporis, quæ absque illa inutilis esse dicitur, Deut. X, 16. cap. XXX, 6. Jerem. IV, 4. Ezech. II, 19. cap. XXXVI, 26. Act. VII, 51. Ipse Apostolus distinguere solet, inter judæum internum, & externum, Rom. II, 28. sq. *κρυπτός ἰσδάμεν* dicitur ille, qui vita spiritali vivit, ejusdemque bonis, tanquam pars seminis Abrahami, fruitur. Crebra fit mentio duplicis Israelis,

lis, secundum carnem 1. Corinth. X, 18. & Israël, secundum spiritum Rom. IX, 6. qui & Israël DEI cluet Gal. VI, 16. Rom. IV, 16. Si volupe est, legat, qui velit, verba cl. D' Outrein ad Gen. XIII, 16.; *Ponam semen tuum sicut pulverem terræ. Conferri debet cum cap. XV, 5. suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit tuum.* Prima comparatio (juxta quosdam) *judeos* signat, terræ terrenisque rebus adhærentes: Secunda *christianos*, a rebus terrenis magis ablactatos, & rerum terrenarum contemptores. Utraque conjungitur etiam cap. XXII, 17. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas; & velut arenam, quæ est in littore maris. Arena stellæ perfectiores sunt: Sanctior Christianorum vita præ judaica, cet.*

§ 53. Ex hoc fundamento interpretari aliqua ratione possumus verba Apostoli, & Evangelistæ, Joannis, Evangelii cap. I, v. 13. de prærogativis filiorum DEI N. T. agentis; quod *non sint ἐξ αἱμάτων, ἡδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, ἡδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ; ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex DEO nati.* Joannes igitur describitur generationem spirituales, ex qua dignitas illa, quod filii DEI sumus, ita proponit, ut, & quo pacto non facta sit, & quo pacto facta sit, ostendat; ita genituram illam, & ἀρχητικῶς & θεϊκῶς describat.

§ 54. Qui in verbis his Apostoli tantum naturalem nativitatem asseri, sed verbis diversis, non videntur scopo Apostoli satisfacere, nec loquendi formulæ, quia non sine ratione, nec frustra ter dicitur, *ἐκ, ἡδὲ, ἡδὲ.* Iccirco Interpretes, non unum, idemque verba illa indicare, agnovere; attamen diversimode sunt interpretati. Eruditissimus Jo. Lightfootus ex Judæorum scriniis explicare conatus est, *ἐκ ἐξ αἱμάτων*, ubi numerus pluralis notandus est, haberi nempe respectum ad sanguinem paschatis cum sanguine circumcisionis, illumque posse ita purificare homines, ut DEO accepti sint; accipere DEum unumquemque eorum atque eum osculatum esse. Adverte, ut *ἐξ αἱμάτων* circumcisionis & paschatis renatos dicant Israëlitas a sua degeneratione, atque ut *ἐξ αἱμάτων* circumcisionis & sacrificii (addito solum baptismo) factos filios DEI arbitren-

trentur etiam ethnicos , cum per profelytismum facti forent Israëlita , & filii fœderis; filiationem aliam, veram adoptionem ignorarunt. *Εκ θελήματος σαρκός*, eo sensu, quo Patriarchæ, reliquique judæi, ex pluribus uxoribus plurimos filios ambierunt, ut filios scilicet seminis Israëlitici, & fœderati. *Εκ θελήματος ἀνδρός*, eo sensu, cum multos profelytos ambierunt, admittendos in Israëlitismum, & sic in fœdus, & filiationem. Hi erant modi, subjungit, quibus autumarunt illi, homines adoptatos fuisse in filios DEI, factos scilicet Israëlitas. Ast longe aliud de adoptione, & filiatione docet Evangelium.

§ 55. B. D. Jo. Henr. Majus ad hæc verba. Studiose notari velim, quibus tantum beneficium contingat, & qui vere filii DEI sint, unde id habeant? Nempe, non illi gaudent isto titulo, & privilegio, qui naturali generatione, ex *sanguinibus majorum*, quantumvis nobilium, & sanctorum, ut Abrahami, & Patriarcharum, ortos se, gloriari possunt; neque, qui *ex voluntate carnis*, quæ peccaminosa est, & regnum DEI adire nequit (1. Corinth. XV, 50.) caro nati sunt; neque, qui ortum ducunt ex *voluntate viri*, præstantissimi, & virtuosissimi, cui se formandos, fingendosque tradiderunt, ad sublimiora rationis lumina, secundum Ethicam Philosophorum irrogenitum.

§ 56. Propius ad scopum collimare nobis videtur celeberr. D. D. Buddeus, lumen Academiae Jenensis illustrissimum, Instit. Theol. Dogmat. L. 4. c. 4., & qui cum eo sentiunt. Negat Joannes generationem spiritualement esse *ἐξ αἱμάτων*, ex sanguinibus, h. e. naturalem, & ordinariam, qualis ea est, per quam pueri carnis & sanguinis participes fiunt, Ebr. II, 14. Neque porro, eam esse *ex voluntate carnis*, hoc est, ex carnali aliquo desiderio, quocunque modo liberos habendi. Negat denique *ex voluntate viri* eam esse, qui, cum forte ipse liberos non habeat, diligenter dispiciat, quemnam bonorum suorum constituat hæredem. Atque hac quidem ratione cum credentes filii DEI non fiant, ostendit, quo pacto fiant, per regenerationem scilicet spiritualement, quæ ex DEO est; *sed ex DEO nati sunt*; conf. D. Witfium in hunc locum. Plures aliorum recensere opiniones, non vacat.

§ 58. Nobis, si nostrum proponere iudicium, salvo tamen, rectius sentientium, iudicio, licet, videtur sanctus Joannes unice ad Patrem Abrahamum oculos intendisse, qui, triplici modo, filios habuisse, dici potest. Primus, *ex sanguinibus*, quando ex justo matrimonio, lege scilicet ordinaria, & conjugali, licet post moram nemini fere tolerabilem, Isaacum, quem ei Sara peperit, suscepit. Alter *ex voluntate carnis*, quod, sterilitate uxoris diuturna, & ejusdem amica persuasione, inductus, ex carnis infirmitate, Sara etiam de prole desperante, & Hagarem ancillam præ aliis commendante, contra legem matrimonialem, ad polygamiam pervenit, progenitque ex Hagare ægyptiaca, (quam nonnulli judæorum Keturam fuisse suspicantur) Ismaëlem. Excusanda Sara cum Abrahamo, ita B. D. Calovius, quia non ex libidine, sed cupiditate prolis suscipiendæ, desiderio benedicti seminis, in cujus promissionem toto pectore respiciebant sancti Patres, id amplexi sunt. Siquidem, nondum sciebat Abraham, num ex Sara, an vero alia conjuge semen, in quo promissio facta erat, suscepturus esset; neque volebat Sara virum sanctum semine a DEO promisso defraudare. D. Musculus. Duplex erat apud veteres uxorum genus. Unum earum, quæ liberæ erant, & matres familias. Hæ omnium erant bonorum consortes, & גְּבִירוֹת, i. e. *dominæ*, dicebantur. Alterum earum, quæ de servili conditione in uxores assumebantur. Illæ non erant matres familias, nec libertate conjugali potiebantur, sed in servili conditione retinebantur. Vocabantur & ipsæ quidem (vocabulo) אִשָּׁה, i. e. uxores, verum haud quaquam גְּבִירוֹת, i. e. *dominæ*, sed aliquando in scripturis פִּלְגֶּשִׁים, i. e. *concubine* nominantur. Hagar h. l. vocatur אִשָּׁה, i. e. uxor. Tertius *ex voluntate viri*, quatenus Eliezarem sibi pro filio adoptare, & hæredem suum constituere voluit, satis contentus eo, si modo tanquam filius suus adoptatus, in hæreditatis heriscundæ jure habeatur. Gen. XV, 2. Conf. Summe Rev. D. Wolfii Curæ philol. in h. l., & cel. D. D. Lampius in h. l.

§ 58. At vero, ne præsens scriptio excreseat nimium, adjungemus verba Matth. V, 45. ex ore Servatoris maximi

prolata. Ubi cælestis Pater legitur *solem suum oriri facere super malos & bonos*, & pluviam mittere super *justos & injustos*.

§ 59. Christus excitaturus suos auditores, ut homines, discrimine sub N. T. sublato, promiscue diligant omnes, multa profert, eaque stringentia argumenta, quæ commovere eos & excitare ad id possent. Inter illa non minimum est bonitas, & benignitas DEI, creatoris omnium & conservatoris fidelissimi; qui in documentum effusæ suæ benignitatis, solem suum super *bonos & malos* oriri sinat, & pluviam dimittat super *justos & injustos*.

§ 60. Duorum tantum generum oppositorum mentionem injicit Servator noster Optimus M., *malorum* nempe, & *injustorum*, *bonorum* item & *justorum*. Hos ergo bene ut distinguamus, necesse est, quia Dominus tam curate eos distinguit, siquidem voces ejusdem fere notationis in eadem constructione significationem insigniter intendunt. Et licet ego discernere statim non possim, pati malo ignorantiam, quam ut ejus dissimulandæ causa, phrasas in oppositum sensum flectam, Scripturam torqueam.

§ 61. Occurrunt quidem in sacris plura nomina, quibus peccatores, & DEum negligentes insigniuntur. Post lapsum quippe homines multis modis a teneris infantæ annis sunt deformati, per præjudicia, per corruptæ carnis concupiscentias, per sensuum exteriorem tantum rerum corticem lambentium illecebras, per auctoritates hominum, per inconsideratam sine debita attentione præcipitantiam, cetera. Unde ignorantia, obscuritas, confusio, præjudicia, dubitatio, error, oblivio, mala conscientia, suam traxere originem. Id quod saniores Philosophi, verbo DEI, instar rubi batavici, utentes, viderunt.

§ 62. Nolo heic immorari, &, quæ plena manu de peccatis sic dictis philosophicis sparsa sunt a viris doctissimis, congerere. Celeberr. D. Christian. Gotl. Schwarzius, in erudit. dissert. de abusione abstractionis metaphysicæ in doctrina morum §. 14. Equidem jam diu huic figmento quasi fundamentum præstruxerunt Scholastici, dicentes, *neminem agere injuste*,

juste, nisi qui sciat, se rem injustam agere, quos & Grotius imprudentius secutus est de J. B. & P. L. 2. c. 23. §. 12. At vero, ante hos quadraginta annos hoc ipsum commentum sensim magis magisque pertexi cepit. Primus, quantum constat, Antonius Burgundus Jesuita A. 1670. nomen peccati philosophici in thesibus certis publice adhibuit. Peccatum, inquit, aliud est philosophicum, aliud theologicum. Hoc est formalis offensa DEI, ex eoque capite specialem habet malitiam; illud nequidem est peccanti semper imputabile, ut factum contra DEum, ejusque legem, adeoque non apparet, unde semper mereatur pœnam sensus æternam? Quæ doctrina posthæc a Jacobo Platello, in synopsi Theologiæ, a Terillo, in Regula morum, a Retuxio, & Hellinxio, Jesuitis Lovaniensibus, aliisque, publice, privatimque defensa est. Id quod cum primis cognoscere licet ex Quinque denunciationibus novæ hujus hæreseos, quas Antonius Arnaldus, strenuus Jesuitarum oppugnator, & Theologus antea Sorbonicus, postea ob causam Jansenismi a Gallia exsul, evulgavit, & quarum summa Acta Erudit. Lips. de A. 1689. 1690. & 1691. breviter recensent. Conf. & B. Jo. Olearii, Theol. Lipsiensis, disp. de peccato philosophico A. 1690. habita.

§ 63. Scriptura V. T. duodecim potissimum recenset peccatorum nomina (1) חטא (2) פשע (3) עון (4) עורא (5) בגד (6) מעל (7) מרי (8) מרד (9) עברה (10) רשע (11) אשם (12) טמא. Ut inde constet, quanta in peccatis sit turpitudine, quanta pravitas, injustitia item, miseria, ærumna, & tristitia effecta. Attamen sæpe ita conjunguntur, ut singulæ peculiare quid significent.

§ 64. Apud Prophetam Daniele c. IX, 24. prædixit Angelus Gabriel (quem Theologorum hodiernorum aliqui, Filium DEI, alii Spiritum sanctum fuisse, disputant) venturum Messiam, ad coercendum פשע, defectionem, nempe judæorum, ad consummandum חטא, peccatum, gentilium, ad expiandum עון, pravitatem, reliquias corruptionis in fidelibus. Esai. cap. LV, 7. præcipit sanctus Israelis. Deferat impius viam suam, & vir iniquitatis, cogitationes suas. Prius potissimum Judæos, poste-

posterius gentes tangit. David in Psalmo primo agens de beatitudine viri, qui non ambulat in *consilio impiorum*, primorum Christi hostium, videlicet, Judæorum, qui non stat in *via peccatorum*, videlicet gentium, Judæorum in odio erga Christum, ejusque Ecclesiam successorum, & in *sede irrisorum* non sedet, quibus certam cathedram Spiritus Sanctus tribuit, in qua essent sēsuri, qui doctrinæ Christi & Apostolorum irrisores futuri, & de sua cathedra, quasi Apostolica, gloriantes. Nonnulli explicationem talem exhibent. Illi, qui ambulant in *consilio impiorum*, sunt, qui mala cogitant, & moluntur. Stant in *via peccatorum*, qui dant effectui. Sedent in *sella derisorum*, qui mala, & scelera non agnoscunt, sed defendunt. Ad Gen. XIII, 13, scribit B.D. Schmidius, idoneus in his rebus iudex. Erant mali & peccatores, scilicet καὶ ἐξοχῶν, nam Ebræis nomina absolute posita in superlativa significatione usurpari solent. Plura, quæ restant, sciens jam prætereo.

§ 65. Ante captivitatem babylonicam pios, & DEI timen-
tes voce צדיקים decoratos saepe fuisse, ut & nomine צדיקים, constat; quibus oppositi erant רשעים, impii, ac
scelerati homines. Atque illo tempore universa gens & fami-
lia Judæorum in duas hæc partes secta fuit, Chasidim, qui &
Asidæi, vel Hasidæi postea dicti, quasi boni & justī, 2. Macch.
XIV, 6. Reschaim, mali, impii, injusti. A captivitate vero sub
templo secundo distinctio orta inter Chasidim, & Tsadikim.
Tunc enim inter Judæos fervere cœpit studium sacrarum litte-
rarum, cum ab idololatriæ servitute emancipati εὐγενέστεροι facti
essent in scrutandis sanctis scripturis. Nempe, qui Tsadikim
dicti, solis scripturis legendis, & intelligendis omnem ope-
ram navabant, contenti, non sapere, ultra, quod scriptum est.
Cum Chasidim, Scripturas imperfectas, nisi aliquid iis addere-
tur, clamantes, plura illis addenda censerent, quo defectus
ille scripturæ suppleretur, cet. Sed has cupedias in præsens
aliis relinquimus.

§ 66. Vox ἁμαρτολὸς, apud Græcos in genere quidem
interdum quemvis denotat peccatorem; sicut Petrus ad Chri-
sti pedes prostratus ἄνδρα ἑαυτοῦ ἁμαρτολὸν agnovit, Luc. V, 8;
aut;

aut, sicut Christus *κεχωρισμένον* ἀπὸ τῶν ἁμαρτολῶν adpellatur, Ebr. VII, 26; plerumque tamen flagitiosos, & notoriis criminibus infames peccatores illa voce designantur, quales erant publicani, cum quibus ἁμαρτολοί sæpissime conjunguntur; Matth. IX, 10. 11. cap. XI, 19. cet., quales fuisse censebantur, quos Pilatus trucidaverat, Luc. XIII, 2. quales opponuntur iustis Matth. IX, 13; quales sunt, quos DEUS non exaudit Joan. IX, 31., quales τοῖς ἀσεβέσι conjunguntur 1. Tim. I, 9. & ἀσεβεῖς ἁμαρτολοί adpellantur in Epistola Judæ v. 15. Et disputat contra Bernardum Lamyum, Magnif. D. D. Deylingius, P. 3. Observ. fac. Observ. 31. de muliere peccatrice, qui vocem hanc de levibus quibusdam peccatis, præsertim nimia crinium cura, exponit. Cum hac significatione pulcre, apteque convenire censebat Magdalene nomen. Sabbatho quippe plicare crines, non licuisse. Ideo potuisse mulierem peccatricem adpellari Magdalenam, quod plicandis suis crinibus quocunque die nimiam curam impenderet, & tam molli vitæ genere patefaceret, se non multi facere mandata legis. Vide ibidem plura lectu jucunda.

§ 67. Πονηρός plus apud Græcos valet, quam κακός. Chrysostomus Homil. 8. in Acta Apostolorum, πονηρὸν dictum esse ἀπὸ τῆς πένος, labore, a πένομαι; cum vera animi quies in solo virtutis exercitio consistat, unde apud Galenum, aliosque πυρετοὶ & πόνοι, febres, & morbi, conjunguntur. Esai. XXXII, 17. Erit vero opus justitiæ pax, & labor justitiæ quies, & securitas usque in æternum.

§ 68. Nequam ille diabolus, procul dubio, in emphasi est πονηρός, qui est origo omnis mali, quo auctore, malum in mundum est ingressum; in oppositione ad pristinam bonitatem, in qua non perstitit, & unica ejus voluptas est, male agere. Iccirco a quibusdam *malus* vocatur (1) formaliter (2) totaliter (3) finaliter (4) efficienter. B. D. D. Carpzovius Isagog. in lib. Symbolicos, petitione 7. orationis Dominicæ. Quando quidem græcum in obliquo casu positum, ambiguum sit, & non per se liqueat, an masculinum sit ὁ πονηρὸς, an vero neutrum, τὸ πονηρὸν, factum inde est, ut Interpretes hæserint hic,
E & pars

& pars masculinum, pars neutrum arripuerit. Verum, quia uterque, & masculinus, & neutralis, significatus vocabuli hujus in N. T. frequens est --- igitur Lutherus, utrumque & masculinum, & neutrum in Catech. maj. p. 532. conjungere voluit. Nervose quoque D. Jo. Reinh. Rus. Sub malo intelligitur in latissima acceptione, quam sine causa non putamus deferendam, cum ipse diabolus (vide Matth. XIII, 19. 39. Eph VI, 16.) auctor omnis mali, tum quicquid felicitati nostrae adversum est, sive ad animam illud spectet, sive ad corpus, sive ad fortunam. In primis vero peccatum 1. Joan. V, 19. Joan. XVII, 15. 2. Tim. IV, 18. Neque enim etiam articulus necessario masculinum arguit, quippe qui & neutro additus deprehenditur, Rom. XII, 9. Joan. XVII, 15, cap. V, 10, a quo nos DEum, ut liberet, precari jubemur.

§ 69. Altera vox est *ἀδικός* ab *ἀδικεῖν*, nocere ac iniuste agere; & *ἀδικία* significat omnia, quae faciunt contra æquum, adeoque quodlibet peccatum, sanctitati requisitæ oppositum; detrahit enim omnis peccator DEO, quod DEI est, sibi ipsi, quod saluti ipsi est, proximo, quod ad ædificationem ejus facit. In specie, vitium, quod in bonis externis, quæ alteri debentur, non servat, injuriam & deformitatem in mendacio Joan. VII, 18., & ita *ἀλήθεια*, & *ἀδικία* opponuntur. LXX hac voce utuntur pro *חַמַּס* Psal. X, 5. Gen. XVI, 5. Jesai. LX, 18. pro *רָמַיָּה*, Psal. LXII, 11. Psal. LXXIII, 8. Gen. XXVI, 20. pro *רָמַיָּה* & *רָמַיָּה*, Job. XXVII, 4. Amos. II, 5. Hoseæ XII, 7. pro *רָמַיָּה*, Prov. XXIX, 16. Jesai. VI, 13. cap. XXXIII, 15. *ἀδικία* igitur in genere notat id, quod regno Christi est oppositum 1. Joan. I, 9.

§ 70. His vero *πονηροῖς*, καὶ *ἀδικοῖς* opponit Christus *ἀγαθὸς* καὶ *δικαίος*. *Αγαθὸν* ex Grammaticorum sententia dicitur pro *ἀγαθόν* admirabile, ab *ἀγάω*, i. e. θαυμάζω. Magis placet, *ἀγαθόν* dicit bonum, quia *ἀγαν* ἄξιον θεᾶς, dignum est multa spectatione, teste Bechmanno, de Orig. verb., vel *ἀπὸ τῆς ἀγαν θέειν*, a valde currendo, quia ad bonum valde currimus. Platoni *ἀγαθόν* videtur esse *ἀπὸ τῆς ἀγειν* ducere, quasi *ἀγαγόν*, quod nos amore sui ducat, & impetum animi ad sese move-

move-

moveat. Seneca Epist. 118. Sicut & καλόν, quod nos ad se vocat. Bonum autem a beando dicitur Ulpiano, quod beet, h. e. beatum & fortunatum, aut locupletem faciat. Δίκαιος in sacris vocatur, qui non solum iusta agit, sed & qui iustitia Christi gaudet; non iustitia essentiali, quæ ei juxta divinam naturam ab æterno, & juxta humanam naturam, a primo unionis momento, competit; sed mediatoria, & satisfactoria, quatenus merito & satisfactione sua iustitiam nobis comparavit, non legalem, non typicam, quam præstitit obediendo, id est, legem perfecte pro nobis implendo. Hanc nemo efficere, nemo acquirere, nemo dare potest, nisi DEUS, & quæ DEI ita propria est, ut non nisi imputando nostra fieri queat. Hæc sola est, quæ coram DEO valet, cum manifestum sit hætenus factum, quod iustitia legis coram ipso non valeat. Iustus, tum imputative, tum inchoative.

§ 71. Si quando igitur heic malos opponit bonis, iniustus; in priori, quidam volunt, habuisse respectum ad DEUM, in posteriori, ad proximum. Paulus Rom. I, 18. agens de effectu iræ divinæ, docet quod post auditum Evangelium revelata ea sit super omnem ἀσεβειαν, impietatem, & ἀδικίαν, iniustitiam, hominum. Meminit hominum, quia angeli mali etiam suas habent ἀσεβειας, ἃς ἠπέβησαν, ob quas etiamnum luunt, & in perpetuum luent, Judæ v. 6. Sunt quidam interpretum, qui per ἀσεβειαν primo intelligunt idololatriam gentilium, deitatem multiplicantium, deosque introducentium omni hora mutabiles, inter se divisos, & cum diviso imperio dissidentes, & ita gloriam DEI mutantium. Secundo cultum judæorum, postquam per mortem Christi prorsus est abrogatus; qui templo manu facto maluerunt adharere, quam verum templum, JESUM CHRISTUM, agnoscere; ad altare externum accedere, quam sanctum altare apprehendere. Per ἀδικίαν, gentium sacrificia, lustrationes, splendorasque virtutes (V. Jac. Geusius de Victimis humanis) Judæorum item cultus, & sacrificia, cet.

§ 72. Ut igitur, his omnibus perpensis, breviter nos expediamus, placet eorum sententia, quæ statuitur, quod

Christus non tam ad objecta, quam certa subjecta, oculum figat. Per *malum* intelligens istum, qui in se talis est, & non aperte se aliis manifestat, qui tamen DEO, qui corda & renes scrutatur Jerem. XVII, 10., cuius oculi sunt flamma ignis Apoc. II, 23., est notissimus. Qualis est Atheus, omnis, qui *cor suum seducit*, Jacob. I, 26., contra propriam suam conscientiam agens, manifestæ veritati contradicens, cui incumberet prius, ex omnium hominum mentibus eradicare ideam s. conceptum de DEO, argumenta pro DEI existentia destruere, plausibiles adferre rationes, & demonstrare, quod per atheismum melius humanæ societati consuli possit, *φιλαυτος*, cet.

§ 73. Ad verba Psalm. XIV, 1. *dixit stultus in corde suo, non est Deus*, non inepte commentatur Sim. de Muis. Non est hic יְהוָה, quod DEum ut primum ens, seu ens entium, sed אֱלֹהִים, quod DEum, ut judicem, ac gubernatorem, significat; quasi velit dicere, non inveniri quidem, qui DEum esse inficiuntur, sed esse quam multos, qui negant, DEum curare ac regere res humanas. Hi sunt *mare illud*, quod nunquam quiescit, scilicet in se, in cogitationibus Esai. LVII, 20.

§ 74. Postquam Messias Prov. VI, 16. locutus fuerat de membris hominum externis, v. 18. differit de interno corde, quod molitur cogitationes iniquas. Ex corde enim, Matth. XV, 19, egrediuntur cogitationes malæ. Jerem. XVII, 9. Astutum cor præ omni, & desperatum idem, quis cognoscet illud? Paulus Eph. IV, 18. loquitur de hominibus, obscurum habentibus intellectum. Idem Apostolus ab Episcopo ad Tit. I, 8. requirit, ut sit σωφρων, quod multi ex σώω servo, & φρον mens; ex σώς, vel σος, sanus, bene constitutus, & φρον mens, qui sana uti ur mente. Σωφροσύνη notat moderationem animi, quæ frugi, prudentem, & moderatum decet. Eodem sensu sumitur Act. XXVI, 25. cum Paulus Festo exprobranti insaniam sic se excusat. *Non insanio, sed vera. & σωφροσύνης ἐγώ εἰμι*, sanæ mentis verba, loquor, quasi dicat, quæ ego dico, non sunt mente capti hominis, sed ejus, qui sanus, & mente constans est. Boni sunt, qui in corde veram fidem in DEum, & Christum, timorem, amorem, & reverentiam habent. I. Joan. I, 8. *Si dicimus, nos non habere*

habere peccatum, seducimus nos ipsos, & veritas non est in nobis, h. e. seducimus alios. Philipp. II, 15. requirit Apostolus, ut fideles sint irreprehensibiles, & sinceri in medio generationis pravæ, & distortæ. Et ita ex regula de oppositis; opposita juxta se posita magis elucescunt; facile patefcit, quinam sint *justi & injusti*. Hos Propheta Esaias cap. LVII, 20. vocat *mare, qui ejiciunt cœnum & lutum,*

§ 75. Super illos oriri finit solem, pluviamque mittit cælestis Pater. Quandoquidem hæc duo sunt, quibus nec homines, nec terra carere possunt. Solis, largitoris omnis lucis & fertilitatis, qui antiquitus habebatur anima mundi, universalis causa, quæ in omnem materiam agit, & aquæ, in terram, herbasque, destillantis, usus per omnem vitam patet latissime. Sine illis nihil generat natura. Omnis fertilitas inde provenit, generationisque sunt principia, juxta illud Ovidii.

Namque ubi temperiem sumfere humorque calorque, Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus. Major, ita B. D. Majus, gratia est, quod DEUS solem suum spirituales oriri facit super bonos & malos, & spiritualia beneficia impertitur. Sive ergo regnum potentie, sive gratiæ intuemur, ubique documenta beneficentiæ divini, & incitamenta gratitudinis nostræ deprehendimus.

§ 76. At, quoniam de discrimine inter malos, & bonos, atque justos, ac injustos, nobis otia fecit B. D. L. Romanus Tellerus, Theologus Lipsiensis, in libro, multa pietate, & eruditione referto. Der grosse Unterscheid zwischen den Gerechten und Gottlosen; Item Summe Vener. D. Moshemius, Cogitt. in N. T. L. I. ad Rom. cap. V, 7, hic figere pedem, & ad propositum, annale videlicet munus, redire, scriptionis hujus requirit institutum. Scilicet DEO, cælorum Regi, Regnorumque Protectori ac Sospi-tatori, gratias agendo maximas, quod vota nostra, præterito anno, pro salute AUGUSTISSIMI REGIS, AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, GEORGII SECUNDI, SANCTISSIMÆ REGINÆ, WILHELMINÆ CAROLINÆ, TOTIUSQUE POTENTISSIMÆ DOMUS REGNATRICES, devotissimo animo quotidie concepta, tam clementer audiverit, nobisque dederit, quæ rogavimus.

§ 77. Quis apud nos rerum adeo est ignarus, quem fugiat, quanta nunc nuper ALMA HANNOVERA, UNIVERSUS ELECTORATUS, omnesque fidelissimi subditi, tristitia fuerint adfecti, dum AMOR, DELICIEQUE POPULI, CELSISSIMUS ATQUE SERENISSIMUS PRINCEPS WALLIÆ, FRIDERICUS, MAGNI PARENTIS litteris suavissime invitatus, accitusque divino favore, vento adspirante, in Angliam inopinato trajecit felicissime. Quanta e contrario latitia REX POTENTISSIMUS, REGINA, TOTAQUE FAMILIA REGIA, Senatus, populusque Britannicus sint delibuti ad TANTI, TAMQUE GRATI HOSPITIS adventum, QUEM in gremium suum receperunt jucundissime. Undique tunc, tam privatim, quam publice concursantium & gratulantium, Procerum, Nobilium, Civiumque omnium voces, precesque auditæ sunt latissimæ. Vivas! Vivas! HEROU MAXIME, Vivas felicissime! feliciter Britannis, feliciter Senatui, feliciter Civibus subditisque omnibus.

§ 78. Ardentibus nunc porro precibus invocamus LARGITOREM omnis lucis, & fertilitatis benignissimum, ut REGEM GLORIOSISSIMUM, REGINAM CUM GENITIS EX IPSORUM SANGUINE PRINCIPIBUS FULGIDISSIMIS, MAXIMIS BRITANNICI REGNI FIRMAMENTIS, consueta fatorum serenitate, continuo prosperæ vitæ cursu, felicitate, & gloria, veneratione & charitate civium, admiratione populorum, amore totius generis humani, pace denique domi ac foris gloriosa, & perennante gaudiorum materia recreare velit. Sit DIES HIC NOMINALIS REGI CLEMENTISSIMO, UNIVERSÆ DOMUI REGIÆ, nec minus cunctis BRITANNICO SCEPTRO parentibus, faustus, & auspiciatus: Per longam annorum seriem, DEO ita clementer annuente, recurat IDEM sæpius latissime. Sint, maneatque semper stellarum instar primæ & secundæ magnitudinis, quæ numerari non possunt. Qui JEHOVAM reverentur, progredientur sicut Sol in ortu suo. Non obscurabuntur in mediis tenebris, sed lucidissime fulgebunt, ab omni adversitate remoti. Lux gratiæ divinæ illuminet EOS indefinenter, ut in medio generationis

tionis pravæ, distortæ, & obtenebratæ, luceant, ut Gosen olim in tenebris Ægypti, emittentes radios fidei, benignitatis, munificentia, amoris, & patrocini, quo omnes fideles subditi, eruditi etiam, artiumque egregiarum cultores, splendore EORUM illuminentur, recreentur, ac sustententur, ad temporalem non minus, quam spiritualem, & æternam beatitudinem; quo PROLES CELSISSIMA ad mundi usque consummationem nunquam deficiat, quæ THRONUM BRITANNICUM PER FAMILIAM BRUNSVICO-LUNEBURGICAM feliciter roboratum auspiciatissime conscendat. Faxit æternum NUMEN, ut in REGNO ANGLICO justitia semper & pax se osculenter, veritas e terra germinet, & justitia e cælo prospectet; ut REGNUM illud perpetuo sit Tebhel, orbis habitabilis, hospitium Ecclesiæ, receptaculum tutissimum quarumvis fidelissimorum subditorum. A finibus IMPERII BRITANNICI, ANNEXISQUE REGIONIBUS procul absint incommoda cuncta, quæ IIS vastitatem, desolationemque inducere possint. DEUS ille Exercituum, Exercitus MONARCHÆ NOSTRI GLORIOSISSIMI, mari & terra dimicantes, animo & robore inducat, ut possint singulos hostes, qui forte insurgere audeant, (quod tamen clementissime avertet), fortissime repellere, ne unquam UNCTUM nostrum tangant, aut ullum EI malum creent. Concedat præcipue Pater cælestis UNIVERSÆ REGIÆ ET ELECTORALI PROSAPIÆ hanc gratiam, ut semper in Filiorum ejus dilectissimorum numero habeantur, quos paterno complectatur amore, & tandem, cursu vitæ in hoc mundo gloriosissime peracto, cælesti EOS in cælis donet hæreditate.

§ 79. Sed Pietatis nostræ humillimæ, uberius declaranda, Interpres erit humillimus Juvenis insignioris spei, & indolis, GEORGIUS CHRISTIANUS STOUTDMANN, Cellis Luneburg., elegantiorum litterarum, LLque Studiosus strenuus. Hic non est ex istorum caterva, qui tam in sacris, quam publicis, privatisque locis turbas excitantes, se ita gerunt, quasi nullus, cui aliquando esset reddenda ratio, sit DEUS; sed potius ad vitæ, morumque integritatem, doctrinæ adjunxit ele-

ele-

elegantiam. Abstinet a vanis mundi deliciis, aliisque sceleribus, quibus se hodierno tempore adolescentes coinquinare solent. Dicturus de SUCCESSIONE LEGITIMA SERENISSIMÆ DOMUS HANNOVERANÆ IN THRONUM MAGNÆ BRITANNIÆ.

§ 8c. Omnes, quibus GEORGIUM Nomen sanctum, & venerabile est, MÆCENATES, PATRONOS, genere, sapientia, & virtute, inclitos, ERUDITOS hujus loci, CULTORES bonarum litterarum, CIVESQUE omnes, ut huic Exercitio intersint, qua par est, observantia rogamus, invitamusque. Aderit ORATORI choris musicus, qui Actum hunc dabit splendidiorem, illique nitorem conciliabit haud vulgarem. Perorabit die lunæ XXV. April. post nonam ante-meridianam, cum ob sacra publica, ipso Onomastico die, id facere prohibeatur.

P.P. Bremæ d. xvii. April. Fer. Paschal.

A. O. R. MDCCXXIX.

